

eadem Congregatio 23 augusti 1632. et n. 31 ibi: « Solis episcopis, non autem aliis ordinariis inferioribus communicatur facultas absolvendi a censoris ob violatam immunitatem, libertatem, jurisdictionem ecclesiasticam, et Sede vacante committitur episcopo viciniori. Eadem Congregatio sæpius.

His accedit continua praxis, et stylus Curie Romanæ, qui loco legis venerandus est.

223. Ex quibus omnibus præsertim tot, et tam claris declarationibus sacræ Congregationis per tam fideles et classicos collectores allatis patet, sane non amplius probabilem esse sententiam Bonacinæ, Genuensis, et aliorum dicentium, posse episcopum a præfata excommunicatione absolvere, postquam violatores Ecclesiæ per restitutionem debitam, et alia satisfecerunt.

Hinc ab excommunicationis hujusmodi absolute omnino abstinere debent episcopi, et multo magis regulares, etiam illi, qui gaudent privilegio absolvendi a casibus Papæ reservatis: tum quia absolutio ab hac censura est eis specialiter prohibita a Clemente VIII, per dicta n. 221. tum quia hic casus non immerito annumeratur casibus *Bulle cænæ*, a quibus etiam vi privilegiorum absolvere nequeunt regulares.

224. *Absolutio dari non potest, et data non valet ante factam restitutionem.* — Resp. II. A præfata excommunicatione ob violatam immunitatem contracta, absolutio non datur, nec dari potest, et data non valet, neque prodest; nisi prius restituito reo, et facta satisfactione læsæ ecclesiæ, arg. c. *Ex litteris. de Constitut. c. Qua fronte. 25. de Appellat. et c. Cum desideres. 15. de Sentent. excomm.* et ibi doctores communiter: quibus accedit declaratio cardinalium apud Jacob. Pignatell. loc. cit. n. 38. « Absolutio ab Excommunicatione non prodest, nisi secuta restitutione, et reintegratione ecclesiæ. »

De modo autem restituendi vide supra n. 208.

Hinc episcopi in casu speciali obtinentes a Sede apostolica facultatem, seu commissionem absolvendi, absolutionem impertiri non debent, nisi violator restitutionem fecerit, et Ecclesiæ satisfecerit.

§ IX.

DE IMMUNITATE REALI, ET PERSONALI.

Explicata prima immunitatis specie, localis nempe, transimus modo ad reliquas duas: realem videlicet, et personalem.

225. *Immunitas realis et personalis, quæ?*

— Quæritur I. Quid sit, et in quo consistat immunitas realis, et personalis, seu rerum, et personarum ecclesiasticarum? Resp. eam esse et consistere in hoc, quod personæ ecclesiasticæ, et bona cuncta, seu res omnes ad personas ecclesiasticas, vel ad ecclesiam aliquam pertinentes, sint immunes, liberæ, ac exemptæ, a jurisdictione cujusvis potestatis, et personæ laicalis, seu laici, atque ab exactionibus, et oneribus eorumdem quibuscunque. Ita in re omnes tam theologi, quam canonistæ, arg. c. *Non minus. 4. c. Adversus. 7. h. t. c. 1. eod. in 6. Clem. un. eod. c. Quaquam. 4. de Censib. in 6. Authen. Item nulla. c. de Episcop. et cleric.* Nec est circa hoc aliqua controversia: solum notandum, quod immunitas, qua res ecclesiarum et clericorum sunt immunes, vocetur realis; illa vero qua personæ sunt exemptæ a jurisdictione et ab oneribus personalibus, vocetur personalis.

226. *Bona ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum sunt triplicis generis.* — Quæritur II. Quænam res seu bona ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum gaudeant hac immunitate reali? Ante responsum notandum, res et bona ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum esse triplicis generis. Primi generis sunt ipsæmet ecclesiæ materiales, seu templa ædificata una cum cœmeteriis: item vasa sacra, vestes, paramenta, et alia sive consecrata, sive benedicta, ad divinum cultum deputata quasi instrumenta. Secundi generis sunt ecclesiarum, et beneficiorum bona temporalia nec consecrata quidem, nec benedicta, tamen a fundatoribus, aut aliis fidelibus propter Dei honorem et gloriam pro dote ecclesiæ, hactenus intentione et fine oblata, et donata, ut per prælatos ecclesiarum pro decenti ornatu, et conservatione ipsius ecclesiæ, ac necessariorum ad eam; item pro honesta sustentatione rectorum, ac ministrorum Ecclesiæ, et (si quid superest) in pauperum, aliarumque piarum causarum usus expendantur. Tertii generis sunt bona ecclesiarum, et clericorum propria titulo aliquo temporali v. g. emptione, hæreditate, arte, labore, inventione, aut alio simili titulo acquisita, quæ communiter etiam bona patrimonialia vocantur.

227. *Ecclesia ipsa ejusque res, vasa sacra gaudent immunitate reali.* — Resp. I. Omnia triplicis enarrati generis bona ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum gaudent

immunitate reali, indeque libera, immunia, ac exempta sunt ab omni jurisdictione laicali, atque ab oneribus, et exactionibus laicorum quorumcunque. De bonis, seu rebus primis generis conveniunt omnes; quia nullam utilitatem habent, ac ipso, quod tanquam consecrata ac benedicta, et ad divini cultus ministerium deputata, nullis aliis humanis, ac profanis usibus applicari valeant, arg. can. *Quæ semel. 4. can. 19. q. 3; can. Ligna. 38. de Consecrat. dist. 1. et c. Semel. 51. de Reg. jur. in 6. ibi: « Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum. »* juncta l. *Sancimus. 21. c. de Sacrosanctis Eccles.*

228. *Item bona Ecclesiæ temporalia pro dote eidem collata.* — De secundi generis bonis, quod præfata immunitate reali gaudeant, pariter conveniunt doctores ita, ut teste Fagnano, in c. *Non minus. 4. h. t. n. 8. nullus discrepet, arg. c. Non minus. 4. c. Adversus. 7. h. t. c. 1. eod. in 6. et Clem. un. eod. juncto c. 1. de Censib. et c. Quaquam. eod. in 6. accedit jus civile, Authen. Item nulla. c. de Episc. et cleric. ibi: « Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata, collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias, ecclesiis, vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis imponere aut invadere bona ecclesiastica præsumat, quod si fecerit, et requisiti ab ecclesia vel imperio contempserint, triplum refundant: et nihilominus bona imperiali banno subjaceant; quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur. » Ratio autem est; quia hoc ipso, quod a fidelibus pro dote Ecclesiæ, ad Dei cultum, Ecclesiæ, ac ministrorum, ejus conservationem, pauperum sustentationem, et in alios pios usus dicata ac destinata sint, indeque vocentur « res Dominicæ, » can. 39. Apost. Item « Christi pecuniæ, » can. 1. cau. 12. q. 2. « Patrimonium Christi, et pauperum, » non nisi in præfatos pios usus convertenda sunt, quod non fieret, si exactionibus, et oneribus laicorum gravarentur, et in cultus divini, causarumque piarum præjudicium, et Christi injuriam ac irreverentiam diminuerentur. Concordat can. *Secundum. 24. cau. 23. q. 8. Huc etiam quadrat, quod dicitur can. Nulli. 3. cau. 12. q. 2. ibi: « Nulli liceat ignorare, omne quod Domino consecratur (id est datur Glossa hic) sive fuerit homo, sive animal sive ager, sive quidquid semel fuerit consecratur (id est oblatum Domino) sanctum**

Sanctorum Domino erit, et ad jus (dispensatorium) pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui a Deo, et Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, seu eripit, et usque ad emendationem, ecclesiæque satisfactionem, ut sacrilegus judicetur, et si emendare noluerit, excommunicetur. »

229. *Necnon alia bona quocunque titulo acquisita, et bona patrimonialia clericorum.* — De tertii generis bonis est communis doctorum ut videre est apud Barbos. *Jur. Eccles. univ. cap. xxxix, § 5, num. 6; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. vi, n. 9; Abbas, in c. fin. de Vita et honest. cleric. n. 3; Pirhing, h. t. n. 59; Engel, h. t. n. 24. cum Glossa communiter recepta in c. fin. de Vita et honest. cleric. §. Suis facultatibus.* Idque probatur imprimis ex c. *Quaquam. de Censib. in 6, ubi sine ulla distinctione de cunctis rebus et bonis ad ecclesias, et personas ecclesiasticas pertinentibus illa habentur verba: « Cum igitur ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solum jure humano, quin et divino a sæcularium personarum exactionibus sint immunes. »* Imo ibidem in specie res etiam proprias personarum ecclesiasticarum esse exemptas asseritur: ibidem de « pro rebus suis propriis. » Adhuc magis ad propositum sine ulla distinctione de bonis (dummodo legitime quocunque tandem titulo acquirantur) ad ecclesias, et personas ecclesiasticas pertinentibus loquitur c. i. h. t. in 6, ubi postquam Pontifex contra quosdam dominos temporales conquestus est, quod ab ecclesiis, ecclesiasticisque personis exigant collectas, tallias, et alia hujusmodi onera prætendant prætextu honorum, quæ ad ecclesias, et personas ecclesiasticas pertinent, statuit, ut sequitur: « Volentes itaque (prout expedit) sollicitè providere, totque temerariis abusibus, congruis præsidii obviare, auctoritate apostolica, præhabita cum fratribus nostris diligenti deliberatione decernimus, non licere communiis, scabinis, et iis, qui in eis jurisdictionem temporalem obtinent, vel justitiam temporalem exercent, tallias, vel collectas seu exactiones quascunque ecclesiis, vel personis ecclesiasticis imponere vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscunque possessionibus, ab eisdem ecclesiis, vel personis ecclesiasticis legitime hactenus acquisitis, vel in posterum acquirendis: etiamsi ipsæ ecclesiæ, vel personæ vel res

hujusmodi sint intra illorum districtum, vel territorium constitutæ. Nec etiam liceat illis ipsas ecclesias, vel personas ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manum suam ponendum, acquisita jam, vel quæ deinceps acquirant, aliquatenus coarctare: quæ verba tam clara, et universalis sint, ut plane omnino certa videatur conclusio quoad tertium genus bonorum, videlicet, quod et ipsa gaudeant immunitate, consequenter prætextu ipsorum, sive dein emptione, sive donatione, sive hæreditate, sive alio modo, dummodo legitime acquiruntur, vel in posterum acquirendorum (nihil enim aliud desiderat Papa, quam ut sint legitime acquisita, vel in posterum legitime acquirantur, quod utique fit, dum emptione, hæreditate, successione, donatione, vel alio simili licito modo acquiruntur) nec tallias, nec collectas, nec alias exactiones quasunque tandem ab ecclesiis, vel personis ecclesiasticis exigere, vel onus aliquod eisdem propterea imponere valeant. Et certe non video, quid stante tam claro textu opponi posset, præsertim, quia etiam Bonifacius VIII. c. *Quantum de Censib.* in 6, allegans constitutionem cit. c. i. h. t. in 6, expresse dicit, Alexandrum IV, per eam explicasse etiam res proprias clericorum gaudere immunitate. Accedit declaratio Sacræ Congregationis apud Pignatell. tom. II, consult. 54, n. 99, illis verbis: « Patrimonium clerici est exemptum instar bonorum Ecclesiasticorum. » Sacra Congregatio in Tricaric. 14 novemb. 1663.

230. *Tributum solvere est signum subjectionis.* — Et quamvis ubi lex clara habetur, uti in præsentibus, rationem indagare, vel allegare penitus non sit necesse, nihilominus probatur conclusio etiam ratione; tum quia « accessorium naturam sequi congrui principalis, » juxta reg. 42, jur. in 6, et « magis dignum trahit ad se minus dignum, » arg. c. *Quod in dubiis de Consecrat. eccles.* atque ecclesiæ, et personæ ecclesiasticæ sunt respectu bonorum suorum principale, et magis dignum; ergo cum illæ gaudeant immunitate, etiam bona eorum gaudebunt; tum quia domini laici nihil possunt statuere circa bona ecclesiastica vel personarum ecclesiasticarum, nisi obligando personas easdem, eisque præcipiendo: obligare vero aliquem, eique præcipere, onera, ac tributa imponere est signum jurisdictionis in eum, obligari autem, et debere obedire præceptis, oneraque et tributa

imposita solvere est signum subjectionis, ac proprium subditorum, uti per se patet et liquet ex Apostoli ad Romanos XIII, 5. 6: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim (ecce causa, qui subditi sunt) tributa præstatis.* Idem confirmatur, et clare probatur, ex c. 2. *Censib.* ibi: « Vos subditi esse debetis, ideo enim tributa præstatis; quia hæc est probatio subjectionis: » atque domini laici penitus nullam habent jurisdictionem in personis ecclesiasticas, nec hæc eisdem ullatenus sunt subditæ, vel subjectæ, cum ab omni jurisdictione laicorum plene sint exemptæ, ut omnes fatentur, et patet ex dictis, lib. II, tit. II, de *Foro competent.* n. 187. ergo. Et plane non videtur, quomodo ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ sint, ac dici possint plene, ac perfecte exemptæ nisi etiam bona eorum sint exempta. Accedit, quod cum domini laici a clericis spiritualia recipiant, æquum sit, ut temporalia ab eis non exigant, sed potius tribuant, juxta Apost. I ad Corinth. IX, 11: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus.*

231. *Omnium locorum piorum auctoritate episcopi erectorum bona gaudent immunitate reali.* — Porro a quibus oneribus, exactionibus in specie liberæ ac immunes sint ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, et bona earum? dicitur paragrapho sequenti.

Quæritur III. Quænam loca nomine ecclesiæ, et quæ personæ nomine ecclesiasticarum personarum in præsentibus veniant ad hoc, ut ipsæ, et bona earum gaudeant immunitate? Resp. I. Nomine Ecclesiæ hic venire omnia loca pia, ac religiosa auctoritate episcopi erecta. Communis ac certa per jura allegata supra tit. de *Religios. domib.* a nu. 3. ubi in specie plura habentur similia pia ac religiosa loca: ibi vide. Accedit declaratio cardinalium apud Pignatell., loc. cit., num. 98.

232. *Nomine ecclesiasticarum personarum veniunt omnes clerici sæculares, etiam minoristæ.* — Resp. II. Nomine personæ ecclesiasticæ veniunt omnes et singuli clerici sæculares, non tantum in majoribus, sed etiam in minoribus constituti, vel etiam tantum tonsurati, dummodo ultimi minoristæ nempe, vel sola prima tonsura initiati habeant conditiones a concilio Tridentino requisitas. Communis ac certa per jura nam. 228 et seq. citata. Cum enim præfata jura cum concordantiis universaliter ac indistincte omni-

bus ecclesiasticis personis, et clericis, eorumque bonis immunitatem competere asserant, minoristæ autem, ac primum tonsurati revera sint, et dicantur clerici, arg. c. *Clericos.* dist. 21. et can. de *Persona.* cau. 11. q. 1, eos excludere non debemus; præsertim quia favores sunt ampliandi c. *Odia de Reg. jur.* in 6, et ubi Jus non distinguit neque nos distinguere debemus, l. de *Prelio.* ff. de *Publician. in rem act.*

233. *Si conditiones a concilio Tridentino requisitas habent.* — Dicitur notanter: « Dummodo minoristæ, aut primum tonsurati conditiones a concilio Tridentino, sess. 23. de *Reform.* cap. VI, requisitas habeant: quævis enim non desint doctores, ut Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. XXXIX, num. 15; Sanchez, in *Decalog.* lib. VII, cap. XIII, num. 33; Pirhing, h. t. nu. 86. et alii apud ipsos, docentes, privilegium saltem reale competere etiam minoristis, vel sola tonsura prima initiatis clericis, etsi conditiones a concilio loc. cit. requisitas non habeant, eo quod (aiunt) concilium in præfato loco certas conditiones tantum requirit ad hoc, ut clericus gaudeat « privilegio fori, » non vero ut gaudeat privilegiis aliis: consequenter, cum limitatio illa conditionata sit clericis odiosa, extendi ad alia privilegia non debet. Nihilominus probabilius, juri que conformius videtur ad hoc, ut minorista gaudeat « immunitate reali, aut personali, » requiri conditiones a concilio præscriptas, videlicet, ut « beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, et tonsuram deferens alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur. » Garcias, de *Benefic.* part. III, cap. III, num. 5, et seqq.; Azorius, part. III, lib. VII, cap. IX, q. 6; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. VII, n. 2; Barbosa, in c. 7. h. t. n. 7, et plures ab eo citati. Et quidem de *personali* patet; quia privilegium fori sub illa comprehenditur, utpote vi cujus clericus immunis est etiam a jurisdictione quavis laicorum, quod ipsum privilegium fori etiam importat per jura citata, lib. II, tit. II, n. 187. « De immunitate reali » inde constat, quia si clericus « immunitate personali, » seu privilegio fori non gaudet, seu, quod idem est, si a jurisdictione laicorum, non exemptus, sed ei subiectus est, jam hoc ipso « immunitate reali » non gaudet, seu bona ipsius a jurisdictione,

et exactione laicorum exempta non sunt, cum domini laici, bona sibi subditorum, oneribus et tributis gravent non tam ob ipsa bona, seu naturam illorum, sed quia habens bona eis subditus, eorumque jurisdictioni subjectus est, arg. c. 2. de *Censib.* consequenter si clerici minoristæ personaliter non exempti sed subditi sunt, poterunt per dominum laicum bono communi exigente, ad contribuendum obligari, arg. cit. c. 2. de *Censib.* et magis dicemus infra, ac fatentur alibi ipsi adversarii. Et per hoc patet ad rationem in contrarium. Accedit locorum consuetudo et praxis « optima legum interpretis, » c. VIII. de *Consuetud.* vi cujus constat, clericos minoristas, si memoratas conditiones non habent, immunitate reali, et personali non frui.

234. *Item regulares utriusque sexus, etiam novitii.* — Resp. III. Nomine ecclesiasticarum personarum veniunt, et consequenter immunitate reali, ac personali gaudent etiam omnes regulares utriusque sexus cujuscunque religionis approbatæ, tam professi, quam novitii vel novitiæ, Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. XXXIX, n. 23; Molina, disp. 671, num. 4; Felinus, in c. *Licet.* nu. 8; de *Offic. ordinar.*; Pirhing, h. t. n. 87. cum communi ac certa aliorum. Ratio est, tum quia omnes hi sunt personæ ad cultum divinum specialiter deputatæ, consequenter ecclesiasticæ: tum quia in materia favorabili, qualis est immunitas, nomine clerici veniunt quoque regulares utriusque sexus etiam novitii, ac novitiæ, ut late probavimus supra tit. I. de *Vita et honest. cleric.* § 1. a n. 11. ac etiam, lib. II, tit. II, de *Foro competent.* § 9. n. 190.

De eremitis, an et quinam gaudeant immunitate ecclesiastica desume ex dictis, tit. I. de *Vita et honest. cleric.* § 1. a n. 20. ubi diximus quinam eremitæ veniant nomine clericorum.

235. *Immunitas realis ac personalis de jure divino.* — Quæritur IV. Quo jure ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, eorumque bona gaudeant immunitate reali, et personali? Resp. Non tantum jure humano, sed etiam divino. De jure humano patet ex repetitis jam textibus. De jure divino autem quod gaudeant, docent Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. XXXIX, § 5, n. 3; Diana, part. I, tract. II, resolut. 4; Bellet. *Disquisit. cleric. p. 1. de Exempt. cleric.* § 1. nu. 4; Azorius, part. I, lib. V, cap. XII, q. 1. late Sperell. Decis. 37; Layman, loc. cit. cap. VIII: Tam-

burin. *de Jure*; Abbas, tom. I, disp. 15, q. 19. communissima aliorum. Et quidem de immunitate reali quoad bona primi generis, et secundi generis specificati supra num. 226. vix est controversia. De bonis autem tertii generis necnon de immunitate personali, et universaliter de quavis probatur clarissimis textibus c. *Quaquam de Censib.* in 6, cujus textum vide supra num. 229. et concil. Trident. sess. 25. *de Reform.* cap. xx, ubi expresse ait: « Ecclesie et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam esse. » Concordat c. *Nimis*. 30. *de Jurejurand.* Eamdem sententiam late probavimus, et contraria fundamenta refutavimus lib. II, tit. II, *de Foro competent.* § 9. a n. 193. usque ad finem, ubi vide.

236. *Non valet consuetudo contra eum.* — Infertur, quod contra immunitatem realem, aut personalem nulla etiam immemorialis consuetudo aut prescriptio valeat; quia contra jus divinum nulla valet consuetudo, c. fin. *de Consuetud.* Imo, eisi dato, non concessio, immunitas prefata de jure divino non esset, tamen contra eamdem nec licita, nec valida foret consuetudo; quia talis consuetudo expresse vocatur corruptela, cit. c. *Quaquam de Censib.* in 6, ibi: « Contraria consuetudine quorumcumque, que dicenda est corruptela verius, non obstante. » Eamdem illationem, quod videlicet nulla consuetudo etiam immemorialis contra immunitatem, et libertatem ecclesiasticam valeat, late probavimus lib. I, tit. IV, *de Consuetud.* § 3. a nu. 61.

§ X.

DE ONERIBUS, PRÆSTATIONIBUS, ET EXACTIONIBUS A QUIBUS ECCLESIE, ECCLESIASTICÆQUE PERSONÆ, ET BONA IPSARUM VI IMMUNITATIS REALIS, ET PERSONALIS SUNT EXEMPTÆ: UBI IN SPECIE DE ORDINARIIS ONERIBUS, AC TRIBUTIS, VECTIGALIBUS, GABELLIS, ET EXTRAORDINARIIS EXACTIONIBUS TEMPORE COMMUNIS NECESSITATIS.

237. *Ecclesie personæque ecclesiasticæ et res earum sunt immunes ab omnibus exactionibus ac tributis.* — Queritur I. A quibus oneribus, præstationibus, et exactionibus, etc., ecclesie ecclesiasticæque personæ, et res ipsarum etiam propriæ per immunitatem

realem, et personalem sint immunes et exemptæ? Resp. I. Ab omnibus et singulis quomodocumque nuncupatis, tam personarum, quam realibus, quæ non vi domini directi, quod alius habet, vel vi specialis pacti aut contractus rebus illarum inhærent. Hæc conclusio quavis abunde jam pateat probata, et confirmata existat per jura, rationes, et doctores, § præced. allegatos, nihilominus, ut pro praxi magis serviat, descendimus ad quædam onera et exactiones in specie.

238. *In specie a tributis ordinariis, (ordinariesteuer.)* — Resp. II. Ecclesie, ecclesiasticæque personæ, earumque bona cuncta etiam propria in specie immunes, et exemptæ sunt ab omnibus illis etiam ordinariis tributis, oneribus, et exactionibus quomodocumque vocatis, quas principes ac domini territoriales subditis, et bonis eorum, v. g. prædiis, fundis, etc. non vi directi domini, quod in talia bona habent, sed ex potestate jurisdictionis suprema, lege quasi ordinaria aut perpetua imponunt pro statu suo decenter conservando, et pro expensis ad justitiæ administrationem, aliisque ordinariis debiti regiminis, ac boni communis necessitatibus, necnon in aliqualem compensationem curarum, et defensionis, ut proin quamvis possessor aliquis prædii, fundi, agri, prati, domus, etc. pro ordinaria hujusmodi exactione, tributo, vel onere (*ordinari Steur oder Anlag.*) ratione talis prædii, fundi, agri, domus, etc. alias dederit decem, viginti, triginta, florenos v. g. tamen si tale prædium, fundus, ager, domus, etc., donatione, emptione, hæreditate, legato, aut alio modo legitime transit ad monasterium aliquod, capitulum, collegium, vel alium locum pium auctoritate episcopi erectum, consequenter religiosum, vel etiam allodialiter ad privatam personam alicujus clerici, canonici v. g. illico tales res immunes evadant ab onere, exactione, vel tributo hujusmodi ordinario, ita ut principes sæculares talibus bonis, quando apud ecclesiasticos manent, penitus nihil amplius imponere, nec prætextu illorum ab ecclesiis monasteriis, vel personis ecclesiasticis aliquid exigere valeant; Abbas, in c. fin. *de Vita, et honest. cleric.*, num. 12; Layman, lib. XIV, tract. IX, cap. vi, num. 4; Guttierrez, lib. I, *Practic. quæst.*, q. 3. num. 15, et 16. Fagnanus, in c. 4. h. t. numer. 9; Felinus, in c. *Ecclesia de Constit.*, num. 67; Tanner, in *Defens. libert. Eccles.*, cap. xii,

prope finem; Lessius, lib. II, cap. xxxv, dub. 3, num. 19, 20 et 21; Mariba, *de Jurisdic.*, p. 4, casu 11, num. 28, ubi ait banc sententiam esse absolute veram; Pirhing, h. t. num. 57; Barbosa, in can. *Si tributum*, 27, cau. 11, q. 1; Pignatell., tom. II, consult. 54, contra Engel, h. t. num. 25 et 26; Abbas, in c. *Non minus*, 4. h. t. num. 16.

239. *Quoad omnia bona etiam propria.* — Et quidem de bonis primi generis, num. 226, explicatis nullus dubitat, ob rationem, et jura num. 227 allegata. Pariter conveniunt doctores, de bonis secundi generis, ita ut teste Fagnano, in c. *Non minus*, h. t., n. 8, nullus discrepet ob jura, et rationes num. 228 allegatas: quibus adde c. 1, *de Censib.* et can. *Secundum*, 24 cau. 23, q. 3

240. Probatur itaque etiam de bonis tertii generis numer. 226 declaratis, et universaliter de omnibus ecclesiarum, ecclesiasticarumque personarum bonis, quod libera et immunia ab oneribus et tributis etiam ordinariis explicatis in conclusione numer. 238 posita. Et imprimis per jura, § præced. præsertim num. 229 citata, et specialiter c. 1. h. t. in 6, cujus textus (quem num. 229 habes) si bene legatur conclusionem plene et efficaciter probare inveniatur.

241. *Exactionis nomine venit etiam tributum ordinarium.* — Ex eo enim tale formo argumentum: juxta dictum c. 1. h. t. in 6, non licet illis, qui temporalem jurisdictionem exercent, ullam quamcumque tandem exactionem ecclesiis, aut ecclesiasticis personis, earumve legitime jam acquisitis, vel in posterum acquirendis bonis imponere vel exigere ab eisdem; atqui exactionis nomine veniant etiam ordinaria tributa et onera in conclusione posita; ergo. Major patet ex textu, minor probatur; quia exactio ordinaria nihil aliud est, quam tributi petitio, ut bene notat Calvinus in *Lexic. juridic.*, v. *Exactio*, et manifeste patet ex *Rubric.* et toto tit. C. *de Exactoribus tributorum*, ubi illi, qui petunt, seu colligunt tributa, propterea exactores tributorum dicuntur, ipsa autem petitio tributi, exactio dicitur, l. I et III, et passim C. eod. Pariter « ab exactionibus personarum sæcularium jure divino, » et humano immunes declarantur ecclesie, ecclesiasticæque personæ, c. *Quaquam de Censib.*, in 6. Item ab exactionibus omnibus easdem immunes dicit Auth., item *Nulla, C. de Episcop. et Cleric.* Concordat, c. 1, *de Censib.* ubi sancitum narratur, quod « ne-

que de domibus, neque de areis, neque de hortis ecclesiarum servitium aliquod præstetur præter ecclesiasticum. » Pariter can. *Secundum*, 24, cau. 23, q. 8, ex concilio Parisiensi prohibitum narratur, ne quisquam cujuscunque dignitatis de agris, aut aliis rebus Ecclesie oblati, quamcumque temporalem præstationem exigat; ergo nec tributum ordinarium.

242. *Præstatio tributi est signum subjectionis.* — Probatur etiam ratione: tum quia mutata persona mutatur qualitas, et privilegium inhærens rei ratione personæ. Guttierrez, loc. cit. arg. l. *Locatio* 9, § fin., ff. *de Public. et vectigal.* Tum quia exactio tributi præsertim ordinarii est signum jurisdictionis in eo, qui exigit; et subjectionis in eo, a quo exigitur, et qui solvere obligatur; atqui laici nullam habent jurisdictionem in ecclesias, vel ecclesiasticas personas, nec hæ sunt eis subditæ, vel subjectæ, uti omnes etiam adversarii fatentur; ergo. Minor est certa. Major constat ex dictis supra numer. 230, et ulterius evidenter patet ex c. 2, *de Censib.*, ibi: « Et vos subditi esse debetis, ideo enim tributa præstatis; quia hæc est probatio subjectionis. » Accedunt declarationes cardinalium plures, quas vide infra numer. 264, 266, 268, 269, et seq.

243. *Etiam si respectu honorum petatur.* — Objicies I. Cum adversariis dicendo, principes territoriales non exigere tributa, seu onera ordinaria ab ecclesiis, vel personis ecclesiasticis absolute, sed « intuitu et respectu honorum » ad eas pertinentium. Resp. Hoc ipsum etiam, et hunc prætextum expresse esse rejectum cit. c. 1. h. t. in 6, ubi postquam conquestus est Papa, quod domini laici ab ecclesiis, et ecclesiasticis personis exactiones faciant « prætextu honorum, quæ acquisiverunt, statim declarat id minime licere, etiamsi (ut ibi additur) ecclesie personæ, ac res hujusmodi sint intra illorum districtum, et territorium constitutæ; » quia nempe per hoc clerici non sunt, nec fiunt subditi aut subjecti laicis dominis, quod tamen requiritur ad hoc, ut ab aliquo tributum peti possit, arg. cit. c. 2. *de Censib.*, in 6.

244. *Solvuntur varii textus juris.* — Objicies II. varios juris textus, ex quibus clare patere videtur, quod ecclesie, ecclesiasticæque personæ de bonis saltem exterioribus, id est, ad dotem ecclesie non pertinentibus, sed alio laicali titulo, v. g. emp-